

# EPISTULA LEONINA

## CXIX

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM UNDEVICESIMAM (119) !**

## ARGUMENTA

PRIMUM CAPITULUM LUPI MARINI ( <i>Jack London, Sea-Wolf</i> ).....	04-14
VOCABULA RARIORA RECENTIORAVE.....	15-18
VOCABULA RERUM ACCESSORIARUM (II).....	19-27
ECHUS VOCES ( <i>Giancarlo Rossi</i> ).....	28

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam undevicesimam. Habeas, quaeso, me excusatum, quod huius epistulae editio est retardata. Nam cum laboribus scholaribus insudavi exanclandis, tum praecipuê studia lexicographica huic Epistulae Leoninae dedicata opinione diutius me tenuerunt occupatum. Laboriosum enim est, crede mihi, modernis rebus accessoriis imponere nomina Latina sat apta necnon Iacobi Londonii Lupum Marinum togâ induere!*

*Nunc tandem completa est Epistula Leonina centesima undevicesima.  
Tolle et lege et laetare et ...*

**pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Dominico, 16. m. Oct., a.2016**



## DE PROFUNDIS CLAMAVI AD TE DOMINE

**PSALMUS 129,1-8** (Vulgata) De profundis clamavi ad te Domine/ 2 Domine exaudi vocem meam/ fiant aures tuae intendentes/ in vocem deprecationis meae/ 3 si iniquitates observabis Domine, Domine quis sustinebit/ 4 quia apud te propitiatio est/ propter legem tuam sustinui te Domine/ sustinuit anima mea in verbum eius/ 5 speravit anima mea in Domino/ 6 a custodia matutina usque ad noctem/ speret Israhel in Domino/ 7 quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio/ 8 et ipse redimet Israhel ex omnibus iniquitatibus eius.

<https://www.youtube.com/watch?v=vqqFQGV-H54> J. S. Bach - Cantata "Aus der Tiefen rufe ich, Herr, zu dir", BWV 131 (Ton Koopman) <https://www.youtube.com/watch?v=vqqFQGV-H54> J. S. Bach - Cantata "Aus der Tiefen rufe ich, Herr, zu dir", BWV 131 (Ton Koopman)

**CHRISTUS ABYSSI** (*Il Cristo degli Abissi*): Prope urbem Genavae (*San Fruttuoso*, inter *Carnogli* et *Portofino*, in *Liguria*) in altitudine 17 ferê metrorum in fundo maris submersa est statua Iesu Christi aënea, quae vocatur »Christus abyssi«. D.22. m.Aug. a.1954 **Guido Galletti** artifex Italus finxit hanc statuam octo pedes longam, in memoriam **Darii Gonzatti** qui mortuus est in illis locis urinans a.1950. Hoc enim testatus est **Duilio Marcante** (1914-89) primus Italiae urinator apparatu respiratorio usus (SCUBA = *self-contained underwater breathing apparatus*). Eâdem statuâ Christus monstratur benedictionem offerens pacificam manibus versus caelum sublatis. Statua originalis fuerat fictilis, sed cum eadem navibus praetervehentibus esset destructa, in eius locum supposita est copia aënea. Hodie statua Christi posita est intra aream maris protectam. Exstant duae copiae Christi abyssi: una prope Granatam in mari Caribiano posita, altera prope litus Floridae.



**Jack London**

# **LUPUS MARINUS**

*(The Sea-Wolf, New York 1904)*



**LEO LATINUS**

## Capitulum primum



**CASTRUM *POINT FRANCISCOPOLITANUM* circa a.1888 photographatum**

Vix scio, unde narrare incipiam, etsi per iocum interdum totam rem in culpam converto *Carolo Furuseth*. Qui possidebat aedes aestivas in *Valle Molinariâ* sub umbrâ montis *Tamalpais* sitas, quas non inhabitabat nisi mensibus hiemalibus, quos terens legebat *Fridericum Nietzsche* et *Arthurum Schopenhauer*, ut animum relaxaret. Aestate autem ineunte is vir malebat sudare in urbe fervidâ atque pulverulentâ vitam degens laboriosam. Nisi solitus essem illum visitare omni tempore diei Saturni postmeridiano et in illius domo manere usque ad mâne diei Lunae, hâc mâne diei Lunae mensis Ianuarii non navigassem per *Sinum Franciscopopolitanum*.

Licet navigaverim nave securâ, cum *Martinides* esset ponto vaporarius novus, qui ab oppido *Saliculâ* ad urbem *Franciscopolin* iter suum faciebat quartum quintumve. At periculum fuit in nebulâ crassâ, quae sinui incubaret, quam ego, ut eram maris imperitus, non multum curavi. Reverâ recordor me fuisse animo leniter elato, cum sedem occuparem in stegâ superiore, sub ipso gubernatorio sitam, arcanis nebulae imaginandis deditus. Aliquamdiu aurâ recenti flante solus fui in umido aëre obscuro, tamen non prorsus solus, nam suboluit mihi in

casulâ vitreâ supra caput meum sitâ adesse gubernatorem necnon illum quem putavi esse nauarchum.

Recordor me cogitasse, quam commoda esset laborum divisio, quâ mihi amicum trans maris bracchium habitantem visitaturo non esset necessarium studere nebulis et ventis et maris accessui recessuique necnon navigationi pernoscendis. Deliberabam bonum esse, quod varii homines studia amplecterentur rerum variarum. Scientiam gubernatoris nauarchique specialem sufficere multis milibus hominum nave vehentium, qui non plura scirent de mari deque navigatione quam ego. Ex alterâ parte pro eo, ut viribus animi meae uterer ad discendam rerum multitudinem, me animum meum attendere ad paucas res speciales, qualis esset nunc analysis, qua disquireretur, ad litteras Americanas quantum valeret *Edgarius Allanus Poe*, quam, ut hoc obiter commemorem, scripseram symbolam periodici, cui titulus est *Atlanticum*. Nave modo ascensâ diaetam pervadens oculis tumidis conspexi Dominum corpulentum, qui perlegeret *Periodicum Atlanticum* ipsâ paginâ illâ apertâ, cui inerat symbola mei ipsius. Deinde iterum mihi in mentem vênit illa divisio laborum, quâ gubernator nauarchusque scientiâ s u â speciali usi id efficerent, ut Dominus hic corpulentus legeret symbolam m e â scientiâ speciali de Edgario Allano Poe scriptam, dum ab illis securê Saliculâ transferretur Franciscopolin.

Vir quidam facie rubrâ praeditus ianuâ diaetae post se raptim clausâ pedem supplodens foras in stegam progressus me interrupit meditantem, tametsi hanc rem memoriae mandavi, ut eâdem uterer ad disquisitionem scribendam, cui titulum imponere cogitaveram, qui est "*Necessitas libertatis: defensio artificis.*" Vir autem facie rubrâ praeditus oculos rapidê coniecit in gubernatorium, torpidis oculis per nebulam circumspexit, stegam anteriorem posterioremque pedes supplodens pulsabat (apparebat eum instructum esse pedibus artificialibus) et iuxta me varicans constitit vultu valdê laeto. Pro certo habui eum vitam degisse nauticam.

Īdem vir in gubernatorium innuens: »Tempestate, quae est tam spurca quam ista« inquit »«homines praematurê canescunt»«.

Ego respondi: »Haud putaram huic rei inesse aliquantulum difficultatis. Mihi hoc videtur esse tam simplex quam abecedarium. Illi pyxide nauticâ usi noverunt directionem, distantiam, velocitatem. Hoc mihi nullâ re fieri videtur nisi quadam certitudine mathematicâ«.

»Aliquantulum!« ille fremuit. »Tam simplex quam abecedarium! Certitudo mathematica!«

Vir visus est corpus erigere, vento renixus torpidis oculis me aspexit rogans, immo potius mugiens: »Quidnam hîc in Portâ Aureâ de maris accessu et recessu? Quam velox est recessus? Qualis est fluctus? Hocine audis, vin' audire? En boiam campanatam, et nos sumus supra eam! Vide illos cursum mutare!«

Ex nebulâ auditus est tristis sonitus campanae, et vidi gubernatorem gubernaculum rapidissimê torquentem. Quae campana, quae modo visa erat sonare ante nos, nunc sonuit ex latere. Nostra autem fistula sibilavit sono rauco, et interdum soni aliarum fistularum e nebulâ allati sunt ad nos.

Advena digito indicans dextrorsum, unde vênit sibilus fistulae: »Hic« inquit »est ponto cuiusdam generis. Et ibi! Audisne illud? Flatur per ôs. Nescio an sit navicula hemiola. Attende, Domine hemioliae! Ah, hoc cogitaram. Nunc illi patiuntur horrores infernales!«

Ille ponto invisibilis signalia êdere non desinebat, et cornu nebulare ululabat sono terrifico.

Furiosâ sibilatione finitâ vir facie rubrâ praeditus: »Nunc autem unus alteri honorem tribuit et ambo conantur rem componere«.

Facies viri nidebat, oculi excitatione scintillabant, cum loquelam cornuum atque sirenum convertibat in sermonem articulatum. »Hic sonitus qui venit a sinistris, fit sirenâ vaporariâ. Necnon audis istam navem, cuius gutturi inesse videtur rana --- quae est hemiola vaporaria, quantum iudico, contra recessum maris pugnans«.

Sonus cuiusdam fistulae, quae sibilabat quasi fureret, audiebatur e loco adverso valdê propinquo. In Martinidâ sonuerunt gonga. Rotae nostrae pinnatae constiterunt, earum pulsatio est emortua, et deinde



denuo sunt expeditae. Sibilatio parvae fistulae stridula nunc per nebulam sonuit magis e latere et celeriter deminuta est, tamquam stridor grylli, qui auditur inter clamores bestiarum magnarum. Equidem comitem aspexi, ut hoc mihi explicaret.

»En istum, unum ex illis temerariis!« inquit »Utinam istum demersissemus, istum furunculum! Talibus fit, ut perturbatio etiam augeatur. Tales cui bono? Aliqui baburrus navi inest et huc illuc vectat tamquam ab Herode ad Pilatum missus, fistulâ sibilans facit strepitum perterriticrepum omnibus hominibus ceteris ostentans se advenire et monens, ut caveant, sed nescit ipse cavere. Isti furciferi reverâ nesciunt quid deceat!«

Cum ille iniquê irâ incensus indignanter huc illuc ingrederetur, equidem prorsus exhilaratus perrexi commorari in nebulâ romanticê considerandâ. Pro certo enim habui nebulam esse romanticam – tamquam umbram mysterii infiniti cânam, quae aestuaret supra laciniam terrae circumvolitantem; homines autem nihil esse nisi pulvisculos luminis atque scintillae insano studio laborandi execrabiliter affectos vehiculis suis ex ligno et chalybe constructis vehentes medium per mysterium, caligantes per viam invisibilem, verba inter se acclamantes et vociferantes confidentiae plena, quamquam eorum animi essent timore et incertitudine gravatissimi.

Voce comitis mei ridentis auditâ ad me redii. Ego quoque caligaveram atque titubaveram cogitans me mysterium pervadere oculis acribus.

Vir: »Heus« inquit »aliquis advenit viâ nostrâ. Audisne hoc? Ille venit celeriter. Vehitur in directum. Puto illum nos non audire. Ventus enim flat directione falsâ«.

Aurâ recenti in nos ipsos flante clarê audivi fistulam ex altero latere, paululo ante nos sibilantem.

»Estne ponto vaporarius?« interrogavi.

Ille adnuit, deinde addidit: »Alioquin non veheretur tantâ velocitate«. Submissê risit. »Hîc supra sollicitantur«.



Suspexi. Nauarchus capite umerisque e gubernatorio protensis oculos torpidos tam intentê in nebulam coniectos tenebat, quasi merâ vi voluntatis eandem penetraret. Eius vultus erat sollicitus, qualis etiam erat comitis mei, qui stegâ pedibus usque ad epimedion pulsatâ eâdem cum animi intentione ac ille intuebatur in directionem periculi invisibilis.

Tum omnia ista facta sunt idque incredibili cum celeritate. Nebula visa est subito diffringi quasi cuneo diffissa, et emersit prora navis vaporariae, quae utroque latere secum lacinias nebulae trahebat tamquam algas e rostro Leviathanis pendentes. Vidi gubernatorium et virum barbâ candidâ praeditum corpore ex eâdem partim protenso in cubita innixus. Qui indutus erat veste caeruleâ et recordor me animadvertisse quam nitidus et quietus îdem videretur. Terribile fuit illum quietum esse istâ in re. Îdem fortunam sibi destinata sustinens, cum eâdem manibus iunctis procedens lento pectore computavit, quanta foret navium collisio. Cum stabat ibi corpore protenso, oculos in nos coniecit quietus et cogitabundus, quasi accuratê determinaret punctum collisionis, animum nequaquam attendens ad nostrum gubernatorem irâ pallidum, maximâ voce clamitantem: »Vae tibi - quid fecisti!«

Cum respicerem, animadverti illius verba esse dilucidiora quam ut essent explicanda.

Vir facie rubrâ praeditus mihi dixit: »Aliquid tenê correptum«. Prorsus desierat declamare et nescio an quodammodo infectus sit illius tranquillitate praeternaturali. »Audi voces mulierum quiritantes« vir dixit animo aspero, paene amaro. Cogitavi illum talia iam antea aliquando expertum esse.

Naves inter se collisae sunt, antequam facere potui id quod ille suaserat. Necesse est illisam esse mediam navem nostram - nam ego nihil vidi - alienam navem vaporariam ultra conspectum mei praetergressam esse. Latera Martinidae vehementer vacillabant, ligna dilabentia crepabant. Proiectus sum ad stegam umidam et antequam surrexi, audivi mulierum voces quiritantes. Quae fuerunt, hoc certo scio, -- voces maximê indicibiles, quibus qui audiunt non possunt quin horripilent - iisdem auditis in terrorem incidi panicum.

Recordatus thoraces natatorios in diaetâ reconditos esse ad ianuam retentus et repulsus sum a turbâ virorum mulierumque efferatissimâ. Proximis momentis temporis quid factum sit in memoriam revocare non possum, sed clarê recordor me e pluteo deripuisse thoraces natatorios, virum autem facie rubrâ praeditum eosdem thoraces circumposuisse corporibus mulierum affectu hysterico correptarum. Istae res memoriae meae haud minus distinctê atque acriter sunt impressae quam ulla pictura umquam a me visa: Quibus rebus quadamtenus mihi composita est pictura, quam nunc video, -- margines serratae foraminis, quod inerat lateri diaetae, et per quod nebula cana turbinis instar invadebat et circumrotabatur; sedes vacuae, quibus omnes res impositae erant, quae monebant fugae repentinae, quales sunt fasces, perae manuales, umbrellae, superindumenta; dominus ille corpulentus, qui legerat symbolam meam, nunc subere atque carbaso inclusus, periodicum adhuc manu tenens, molestâ cum pertinaciâ ex me quaeritans, num putarem aliquod periculum imminere; vir facie rubrâ praeditus fortiter stegam pulsans cruribus suis artificialibus omnibusque advenis thoraces natatorios induens; denique turba mulierum quiritantium confusissima.

Quiritatio mulierum - ista res fuit, quâ nervi mei vexabantur vehementissimê. Qua re necesse est vexatos esse etiam nervos viri facie rubrâ praediti, itaque alia imago numquam evanescet ex animo meo. Dominus corpulentus periodico in sacculum superindumenti sui imposito curiosê circumspectat. Massa mulierum perturbata, quae sunt vultibus pallidis atque distorsis, oribus apertis, quiritat more chori animarum desertarum; at tum vir facie rubrâ praeditus, nunc tantâ irâ incensus, ut facie sit ruberrimâ, brachiis raptim sublatis, quasi vellet iactare fulmina, clamat: »Ora opprimate! Oh, ora opprimate!«

Recordor me hâc scaenâ ita commotum esse, ut subito riderem, sed statim animadvertisse me ipsum corripere affectu hysterico; fuere enim illae mulieres generis mei proprii, tales fuere quales erant mei mater sororesque, metu mortis correptae, sed mori nolentes. Necnon recordor sonos ab illis editos me monuisse quiritationum, quas êdere solent porci cultro lanionis aspectu, meque istâ sonorum similitudine perhorruisse. Hae mulieres, quae erant aptae ad sensûs animi tenerrimos aperiendos, ad commotiones animae subtilissimas exhibendas, nunc oribus apertis quiritabant. Eaedem volebant vivere,

eadem erant expertes auxilii tamquam ratti decipulâ capti, eadem quiritabant.



### NAUFRAGIUM

Horrore percussus foras exi in stegam. Cum aegrotus nausearem, in scamno consedi. Quadam obscuritate caliginosâ vidi et audivi viros clamantes raptim demittere scaphas. Reverâ ista facta sunt, quae fieri in tali re legeram in libris. Armamenta evolvi non poterant. Nihil

contigit. Una scapha cum paxillis externis demissa primo mulieribus parvulisque, deinde aquâ completa et funditus inversa est. Altera scapha unâ parte extremâ erat demissa, altera pars adhuc supra pendebat ex armamentis, ubi est relicta. Illius atmoploeï alieni, quo infortunium erat effectum, nihil apparuit, quamquam homines audivi dicentes dubium non esse, quin ex illâ nave mitterentur scaphae, quibus adiuvaremur.



Descendi ad stegam inferiorem. Animadverti Martinidam celeriter demergi, nam aqua mihi erat valdê propinqua. Multi epibatae e pontone desiluerunt. Alii iam in aquâ fluctuantes clamabant rogantes, ut in navem reciperentur. At nemo eos curabat. Clamatum est nos demergi. Terrore panico inde exorto correptus lateratim pervasi per massam corporum. Quomodo de nave desiluerim, nescio, sed noveram idque statim, cur homines illi in aquâ fluctuantes tam vehementer cuperent revenire in atmoploeon. Nam aqua erat gelida – tam vehementer gelida, ut dolerem. Cum primum insiluissem, mihi visus sum percuti ignis acritudine. Sensi aquam dentes habere. Mihi visus



sum comprehendi a morte ipsissimâ. Angore et terrore percussus pulmones impleturus ôs raptim aperui, antequam thorace natatorio ad summum mare repulsus sum. Timebam, ne suffocarer salsugine acerrimâ, qua impleti erant guttur pulmonesque mei.

At gelu vexabar vehementissimê. Sensi me vitam non esse superaturum nisi per paucas minutas. Circa me in aquâ homines luctantes palpitabant. Audiebam illos unum alteri verba acclamare. Et audiebam sonare lora. Apparuit ex atmoploeo alieno demissas esse scaphas. Tempore fugiente mirabar me adhuc vivere. Membra corporis mei inferiora prorsus erant sensuum expertia, cor meum rigore algidissimo correptum et pervasum est. Summae undae minores spumantes trans caput meum refractae non desinebant ôs meum invadere me extincturae spiritu intercluso.

Strepitûs evanescebant, sed e longinquo audivi chorum quiritantium finalem et desperatum, ut scirem Martinidam esse demersam. Postea – quanto post, nescio, -- ad me redii affectu timoris. Solus fui. Neque audivi voces neque clamores, nihil nisi sonum undarum, qui nebulâ reverberabatur, ut fieret fuscus et formidulosus. Terrore panico vexari minus terribile est, si quis interest turbae hominum, qui nixum vivendi communicent, quam si quis per mare fluctuat prorsus desolatus. Tali autem terrore panico nunc eram affectus. Aestuabam dubitatione, quonam fluctuarem. Virum facie rubram praeditum dixisse mare per Portam Auream recedere. Num ad altum mare exigerer? Et quid de thorace natatorio, quo fluctuarem? Nonne omni momento temporis fieri posse, ut idem dissolveretur? Audiveram esse tales res ex nihilo nisi ex chartis cavisque iuncis confectas, quae celeriter aquâ saturatae omnino non iam possent natare. At ego ipse nullo modo peritus eram natandi. Necnon desolatus videbar fluctuare mediâ in vastitate canâ et primordiali. Confiteor me insaniâ correptum tantâ voce quiritasse, quantâ quiritaverant mulieres aquamque planxisse manibus torpentibus.

Quamdiu hoc factum sit, nescio. Nam animus me reliquit, quem statum non recordor nisi scio eum fuisse similem somno sollicito atque doloroso. Mihi experrecto saecula visa sunt transacta; supra me conspexi proram navigii e nebulâ emergentis, cui tria vela triangularia imposita erant, unum proximê ad aliud, vento tumentia. Ubi aquae

prorâ dissecabantur, ibi vehementer spumabant et murmurabant, et ego mihi visus sum versari ipsâ in navigii semitâ. Conatus sum exclamare, sed fatigatior fui, quam ut possem. Subito prora demersa est, ut ego superfunderer ingenti flumine aquae. Deinde latus navigii longum et nigrum tam propinquê me praeterlapsus est, ut possem manibus apprehendere. Consilio insano capto conatus sum ungues meos ligno impingere, sed bracchia mea erant gravia atque exanima. Iterum studui vociferari, sed ne ullum quidem sonum edidi.

Puppis navigii praeter me iacta est in cavum undis interiectum; quo factum est, ut obiter conspicerem virum ad gubernaculum stantem et alterum, qui nihil facere visus est nisi fumabat sigarum. Vidi fumum, qui e labiis viri ascendebat, cum is capite lentê converso trans aquam prospexit ad me. Qui vir tam obiter atque negligenter, tam temere oculos in me coniecit quam homines solent res facere, quas non faciunt aliquâ de causâ speciali, sed quia vivunt neque possunt quin aliquid faciant.

At in hâc oculorum coniectu versum est discrimen vitae meae et mortis. Vidi navem nebulâ devorari; vidi dorsum gubernatoris, vidi caput alterius viri converti, lentê converti, tandem vidi eius oculos in aquam deiectos tolli ad me. Ille vir visus est cogitationibus traditus esse profundis, ut timore corripere, ne oculi illius me quamvis attigissent, non viderent. At iidem me viderunt, in meos conspexerunt ipsissimos, nam vir salutem ad gubernaculum, altero viro seorsum pulso rotam raptim torsit clamans aliqua praecepta. At navis visa est iter suum pergere eodemque ferê momento temporis in nebulam e conspectu evasit.

Sentiens me animo relinqui conatus sum voluntate firmissimâ luctari contra vanitatem atque tenebras, quae mihi imminebant superaturae. Brevi post audivi pulaum remorum appropinquantium necnon vocem alicuius viri. Eundem, cum esset mihi proximus, audivi vocantem: »Malum – cur nihil dicis?« Tum 'ille loquitur ad me' cum cogitassem, demersus sum in vanitatem atque tenebras ...

[https://www.youtube.com/watch?v=1LTiZ1\\_enBU](https://www.youtube.com/watch?v=1LTiZ1_enBU)

## NOMINA VERBAVE RARIORA ET RECENTIORA

**aquam dentēs habēre:** *It bit to the marrow*; theod. *Die Kälte drang bis ins Mark*. Nam aqua erat gelida – tam vehementer gelida, ut dolerem. Cum primum insiluissem, mihi visus sum percuti ignis acritudine. Sensi aquam dentes habere. Mihi visus sum comprehendi a morte ipsissimā. *The water was cold – so cold that it was painful. The pang as I plunged into it was as quick and sharp as that of fire. It bit to the marrow. It was like the grip of death.*  
cfr PETRON.42 Excepit Seleucus fabulae partem et: "Ego, inquit, non cotidie labor; baliscus enim fullo est: **aqua dentes habet**, et cor nostrum cotidie liquescit. Sed cum mulsi pultarium obduxi, frigori laecasin dico.

\***atmoploeon**, -ī n. *steamboat, steamer*; theod. *Dampfer*; neograece ατμόπλοιο

**baburrus**, ī m. *jackass*; theod. *Esel, Trottel*. [ISID.10,31; GLOSS.IV, 589,4]

**boia +campānāta** *bell buoy*; theod. *Glockenboje*.

**catascópium**, -iī n. angl. *frigate*; fr. *frégate*; hisp. *fragata*; ital. *fregata*.

cfr HIERONYMUS COMES ALEXANDRINUS, Commentarii de acerrimo, ac omnium difficillimo Turcarum bello Turcorum bello, in Insulam Melitam gesto, anno M.D.LXV. (1565). Noribergae M.D.LXVI (1566), appendix: »13.b. Catascopium & exploratoria navicula, idem sunt. Haec ampliora quidem navigia sunt celocibus, at eadem forma, quare celocem etiam exploratorium nonnulli vocarunt. Vulgo dicitur *fregata*«.

**certitūdō mathēmatica** *mathematical certainty*; theod. *mathematische Genauigkeit*.

cfr Georg Friedrich Meier, Excerpt from the Doctrine of Reason, Translated by Aaron Bunch, 2016 (textus originalis: Auszug aus der vernunftlehre, Halle 1752): "Sixth Section. Of the certainty of learned cognition. § 161. Determinate certainty, when moreover it is as complete as possible, is *mathematical certainty* (**certitudo mathematica**)."

**cornū \*nebulāre** *mouth-blown horn, foghorn*; theod. *Nebelhorn*. [2. cfr nomen mycologicum: *Lepista nebularis*].

**dēcipula**, -ae f. *trap*; theod. *Falle*. [cfr VULG.Iob 18,10 sicut decipula plena avibus].

**diaeta**, -ae f. *cabin*; theod. *Kajüte*. cfr PETRON. 115,1. Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.1, col.2127, s.v. diaeta II): „im Schiffe, K a j ü t e , Petron.115,1.“

\***Franciscópolis**, -is f. *San Francisco*.

**fūrunculus**, -ī m. *the little rip!* theod. *den kleinen Hammel!*  
[CIC.Pis.66 ; TERT.adv.Marc.3,16]

\***gongum**, -ī n. *gong*; theod. *Gong*. [He.246 s.v. Gong: \*gongum, ī n. (SOCIETAS LATINA 37,10]

\***gubernātōrium**, -iī n. angl. *pilothouse*; fr. *poste de pilotage*; hisp. *timonera*; ital. *timoneria*; theod. *Lotsenhaus, Ruderhaus*.



\***hēmiólía**, -ae f. (nāvis) angl. *schooner* (theod. *Schoner*; fr. *goélette*, hisp. *goleta*; lusitan. *escuna*; ital. *scuna*; ngr. **ημιολία** (ή γολέτα ή σκούνα). Quod verbum graecum sensu proprio valet sesquialteram (navem). Quoad verbum neograecum cfr <https://el.wikipedia.org/wiki/Ημιολία>:

„Η **ημιολία** (ή γολέτα ή σκούνα) ήταν τύπος [ιστιοφόρου](#) πλοίου δύο κατηγοριών:

1. [εμπορικό](#) ή [πολεμικό πλοίο](#) που είχε δύο [ιστούς](#) (δικάταρτο) με τετραγωνικά [ιστία](#) (πανιά) στον προωραίο ιστό, δηλαδή ακάτιο, δολώνιο (απλό ή διπλό) και προϊστια: φωσώνιο, παραδολώνιο και αρτέμωνες, ενώ στον πρυμναίο ιστό έφερε τριγωνικά ιστία: επίδρομο και λαίφο. Οι Άγγλοι και οι Αμερικανοί τον τύπο αυτό τον ονομάζουν "σκούνερ", εμείς από παλαιότερα "γολέτα" ή "σκούνα" ή "γολετόβρικο" ή "μυοπάρωνα", και
2. [Εμπορικό](#) ή [Πολεμικό πλοίο](#) που είχε επίσης δύο [ιστούς](#) (δικάταρτο) στους οποίους και έφερε την ίδια ιστιοφορία του προωραίου ιστού καθώς και αφαιρετό ακάτιο (ιστό) στη πρύμνη για [ουριοδρομία](#)

Σήμερα αυτός ο τύπος πλοίου αν και τα τελευταία ήταν πετρελαιοκίνητα έχει εκλείψει.“

Quoad verbum palaeograecum cfr Liddell-Scott 773, s.v. **ήμιόλιος**: » ... III. **ήμιολία ναῦς** *a light vessel with one and a half banks of oars*, D.S.19.65; also **ήμιολία** alone, Thphr. Char.25.2, D.S.16.61, *Mus.Belg.14.20* (but -ίους Plb.5.101.2, -ιον Hsch.), etc.; used by pirates, Thphr. Char. 1.c.; ή. ληστροκαί Arr.An.3.2.5, etc.; expld. by δίκροτος (q.v.) ναῦς, Hsch.«

Ergo nomen antiquum, quod est **ήμιολία**, spectavit ad navem remis instructam; nomen recentius spectat ad navem veliferam. Ecce auctor saeculi sexti decimi Latinus (HIERONYMUS COMES ALEXANDRINUS) antiquo verbo Graeco in Latinum sermonem introducto sic dicit (Commentarii de acerrimo, ac omnium difficillimo Turcarum bello Turcorum bello, in Insulam Melitam gesto, anno M.D.LXV. (1565). Noribergae M.D.LXVI (1566), p.7: »Adsunt & liburnicae naves, & **Hemiolae**, & scaphas decem et septem.« Auctor nomen huius navis in appendice explicat his verbis: »7.a. Hemiolae, biremes sunt, itae dictae, quod a puppe ad malum binis remis agantur, a malo ad proram unico tantum; nunc *fustae* dictae sunt.«

**horrōrēs infernālēs**: Nunc illī patiuntur horrorēs infernālēs! *Now hell's a-poppin' for somebody!* theod. *Jetzt ist bei denen die Hölle los!*

**Leviāthān**, -ānis m. *Leviathan*. cfr titulus operis illustrissimi, quod scriptum est a Thomā Hobbes (1588-1679). Ad eius verba illustrissima quae sunt „Homo hominis I u p u s“ Iacobus Londonius videtur alludere ad titulum suae fabulae (*Sea-Wolf*).

\***Martinīdēs**, -ae m. *Martinez* (hisp. *Filius Martini*) – nomen pontonis vaporarii.

**mūgiō**, -īvī, -ītum *to bellow; brüllen*

**pāxillus**, -ī m. *plug*; theod. *Davit*. Una scapha cum paxillis externis demissa primo mulieribus parvulisque, deinde aquā completa et funditus inversa est. – *One boat lowered*

*away with the plugs out, filled with women and children and then with water, and capsized. – theod. Ein Boot mit Frauen und Kindern wurde an den Davits hinuntergefiert. Es füllteb sich mit Wasser und kenterte. [paxillus: CIC.or.153; VARRO Men.69; COLUM.4,16,3]*

**Periodicum Atlanticum** *The Atlantic (angl.), nomen alicuius Americani periodici philologici.*

**perterrícrepus**, -a, -um: fistulâ sibilans facit strepitum perterrícrepum. *Blowin' his whistle to beat the band.* theod. *macht mit seiner Pfeife einen Höllenlärm.*

perterrícrepus: LUCR.6,129; Tragicorum incertorum fragmenta fr.142 (ap. CIC.or.164).

De locutione anglicâ cfr <http://idioms.thefreedictionary.com/to+beat+the+band>: “To the greatest possible degree. For example, *The baby was crying to beat the band*, or *The wind is blowing to beat the band*, or *John is dressed up to beat all*. This idiom uses *beat* in the sense of “surpass.” The first term may, according to one theory, allude to a desire to arrive before the musicians who led a parade, so as to see the entire event. Another theory holds that it means “*make more noise than (and thereby beat) a loud band.*” [Colloquial; late 1800s] The American Heritage® Dictionary of Idioms by Christine Ammer. Copyright © 2003, 1997 by The Christine Ammer 1992 Trust.”

**Phasma**, -atis n. *Ghost.* Nomen navis, cuius nauarchus est Lupus Marinus.

**Pilātus: Aliquī baburrus nāvī inest et hūc illūc vectat tamquam ab Herōde ad Pilātum missus.** *Any jackass gets aboard one and runs it from hell to breakfast; theod. Da ist Gott weiß was für ein Esel an Bord, fährt von Pontius zu Pilatus.*

Origo mirae locutionis anglicae, q.e. *to run from hell to breakfast*, videtur esse incerta. Sed gehenna (*hell*) cum sit res biblica, nescio an liceat secundum exemplum versionis theodiscae hanc locutionem anglicam Latinê reddere locutione biblicâ (sec. Lucam 23,7 sq.).

cfr <http://www.urbandictionary.com/define.php?term=from%20hell%20to%20breakfast>

“from hell to breakfast: 1. Thouroughly, vigorously, and violently. 2. *From one end of the earth to the other.* Forest Gump ran from hell to breakfast.”

cfr Duden, Das große Wörterbuch der deutschen Sprache, 2. ed., tom.5, Mannheim/ Leipzig/ Wien/ Zürich a.1994, p.2587, s.v. Pontius: „in der Wendung von Pontius zu Pilatus laufen (ugs.: *in einer Angelegenheit viele Wege machen müssen, von einer Stelle zur andern gehen bzw. geschickt werden*; eigtl. = von Herodes zu Pilatus laufen, nach Luk. 23,7 f.; später alliterierend umgestaltet nach dem Namen des röm. Statthalters Pontius Pilatus (gest. 39 n.Chr.) im damaligen Palästina): er ist von Pontius zu Pilatus gelaufen, um eine Wohnung zu bekommen.“

cfr Evangelium secundum Lucam 23,6 sq.: »Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit, si homo Galilaeus esset et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum eo, quod audiret multa de illo et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant enim principes sacerdotum et scribae constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo et inlusit indutum veste alba et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die. Nam antea inimici erant ad invicem«.

cfr Danielis Heinsii in cruentum Christi sacrificium sive Domini passionem homilia. Lugduni Batavorum 1613, p.11: “...Ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, *ab Herode rursus ad Pilatum*, futurus olim mortuorum ac vivorum iudex deducitur.”

**Porta Aurea** *Golden Gate; theod. Goldenes Tor.*

**+rattus**, -ī m. *rat*; theod. *Ratte*. Eaedem volebant vivere, eaedem erant expertes auxilii tamquam ratti decipulâ capti, eaedem quiritabant. – *They wanted to live, they were helpless, like rats in a trap, and they screamed.* [cfr He. 445, s.v. Ratte: “<Mus rattus> +rattus, , -ī m. DuC: G. WEGNER: De rattis, damnoso truculentoque inter mures populo. Tract. Danzig 1699].

**\*rōmanticē** (*adv.*): perrexi commorari in nebulâ romanticê considerandâ: *I fell to dwelling upon the romance of the fog*; theod. *Ich überließ mich der Romantik des Nebels.* [cfr He.463, s.v. romantisch: „,\*romanticus, -a, -um ((P)A. I. Arwidsson: Ingenii romantici, aevo medio orti, expositio historica. Åbo 1817]

**\*romanticus**, -a, -um v.s. \*romantice.

**rota pinnāta** *paddle wheel*; theod. *Schaufelrad*. [Ge.1882, s.v. Schaufelrad, tom.II, col.853]

**\*Salícula**, -ae f. *Sausalito* (*hisp. i.q. salix parva*). *oppidum Californianum*.



**FRETUM FRANCISCOPOLITANUM**

**\*sīgarum**, -ī n. *cigar*; theod. *Zigarre*. [Angelo Perugini, Dizionario Italiano-Latino (Libreria Editrice Vaticana 1976, p.1929].

**Sinus Franciscopolitānus** *San Francisco Bay*.

**sīrēna vapōrāria** *steam siren*; theod. *Dampfsirene*.

**supplōdō**, -ere angl. *to stump*; theod. *stapfen, mit dem Fuß aufstampfen*. CIC.de or.1,230. SEN.ep.75,2.

**\*Tamalpais** mons Californianus. Nomen indianum.



ECCE PORTA AUREA EIUSQUE PONS ILLUSTRIS

